MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (TEIL IV)
Zwettl, 1. Viertel 13. Jh. Seite 61r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

erat et mare quod preoccupaverant tutissima statione
tunc locuti sunt quanta et qualia meror et ira dictabat.
postquam reliqua spes ablata fuerat requirentes quare et un-
de essent et quomodo sancta sua sancto reposita loco contingere
presumerent. Reddite nobis inquiunt patrem et dominum
nostrum. pastorem et nutritorem nostrum qui nos defendebat
semper a visibilibus et invisibilibus. in quem nullus imperatorum
vel quorumque hominum committere nobis similia ausus est.
intra septingentos et septuaginta annos et quinque qui
transacti notantur a dormitione beati confessoris. atque
nullo se continere valentes pre nimio amore et deside-
rio beati patroni. precipites se dabant aliqui ut erant ves-
titi et calciati et capientes remos atque temones pos-
tulabant nimio eiulatu plorantes. ut si non totum
vel partem recipere mererentur ex eo. ne penitus tanto
frustrarentur patrono. Barenses autem calamitatibus
eorum compacientes voce benigna dulcia prestabant
eloquia. Scitote inquiunt nos ex Apulie partibus
oriundos esse et ex Barensi urbe per divinam revelationem
ad tollendum hoc sanctum corpus huc advenisse. Sed vos
cur tantis eiulatibus irrationabiliter affligimini
non attendentes hec minime posse fieri absque nutu
dei et absque consensu beati Nikolai. Cum enim sicut vos
dicitis septingenti septuaginta .v. anni sint preteriti.
postquam sanctus dei confessor obiit. satis est tam vos quam
progenitores vestros eius habuisse beneficia per tot tempus
curricula. nunc autem deo propicio venit hoc tempus mise-
rendi. ut debeat illustrare alias etiam partes mun-
di. Sane in hoc habundanter consolari poteritis quod
monumentum eius sancto liquore plenum habetis. quod relic-
ta est vobis ipsius ycona. de qua multa sensistis beneficia.
Dignum namque et iustum est ut tanto fungatur patrono tam
grandis et tam illustris civitas. sicut Barensis est civitas.

INTEREA ipsi indigene videntes assiste-
re unum de paramonariis orbate illius ac desolate eccle-
sie ceperunt eum multis verberibus affligere asserentes eum
cum sociis suis sanctum corpus propter pecuniam tradidisse. Sed fac-
tum est per beati confessoris interventum ut non sentiret
plagas eorum. recognoveruntque eum inculpabilem esse.
stupefacti super tanta viri dei benignitate. Deinde
sancto corpore honorifice recondito in una begete. cep-
erunt Barenses per pacatum equor navigare ad vesper-
am inclinata iam die. Tunc quidem indigene audi-
entes eos novum alleluia cantare. et laudes deo red-
dere super tanto patre. implebant totum litus clamore
et gravi lamentatione. Testati sunt ipsi Barenses quod per
duo pene miliaria resonarent lamentantium voces.
et quod ne ipsi possent se continere a fletibus eorum mise-
riis compatientes.

DE HINC per maritima navigantes loca que nos
propter barbara eorum nomina. compulsi sunt per ventorum
violentiam venire ad pateram urbem. unde constat
beatum Nikolaum oriundum esse. quasi ipse dei confessor
vellet patriam suam prius visitare per corporis sui presentiam
quam abiret in regionem longinquam. Ibi quippe tanta dif-
ficultas erat ultra progrediendi. ut metuerent frus-
tra esse omnem operam sui incepti. et sanctum confessorem aut in
illa terra velle amodo consistere. aut navigare sue virtutis
potentia impedire. donec redderent eum priori loco resti-
tuendum. Quapropter omnes pariter contendentes ultra vires
iam virium suarum quasi ad xx. iiii. miliaria direxerunt iter
suum. Sed ultra non valentes procedere defectis viribus in loco
qui dicitur Perdichea descenderunt ad litus. ibique convoca-
ta omni multitudine tractaverunt de difficultate et
periculo navigationis sue perquirentes. si aliquis eorum
contra sanctum dei in aliquo peccasset. si quisquam de sacris re-
liquiis aliquid abstulisset. ac proinde factum est communi
decreto ut parato evangeliorum libro ex-
purgarent se omnes super huiuscemodi piaculo dato scilicet
iurisiurandi sacramento. Tum vero confessi sunt quinque viri ha-
bere se aliquas portiones sacri corporis non causa alicuius
presumptionis. sed gratia pie devotionis qua desiderabant
aliquid sibi reservare de thesauro sanctarum reliquiarum. si
forte auferretur eis beatum corpus vi ac multitudine comprovin-
cialium. Quas sane portiones cum reposuissent ad
sacri corporis reliquias. deo ventis et mari imperante
cessavit tempestas. et facta est tranquillitas magna. quasi
unde daretur intelligi quod beatus confessor nequaquam
vellet reliquiarum suarum divisionem fieri.

ET paulo post tempore apparuit beatus Nicolaus
cuidam de nautis consolans eos talibus verbis.
Nolite pavere o navigaturi queque discrimina rerum.
quia ego vobiscum sum. et pariter perveniemus in Barum civi-
tatem ad terminum xx. dierum. Hac consolatione letifica-
tis accessit et de alia re mirabili testimonium respicien-
ti confessoris. Quedam autem avicula visa est advenisse
dum navigarent per pelagus et consedisse in dextro
temone navis que sanctum portabat corpus. ac deinde
dextram manum illius qui temonem regebat eundem quasi
domestica ascendisse. postea autem sacrum corpus dulcis
vocis obsequio salutasse. leniter etiam attingens
cum rostro suo quasi deosculando begetem illam in
qua sancte reliquie reposite erant.